

bat, ut *se ipsum defenderet*, quod uir literis elegantioribus satis imbutus, disertus et facundus orator esset. Taceo iam praeter dona naturalia etiam spiritualibus, teste LVCA 1) gauisum esse STEPHANVM, nec indignisse alio ac disertiore causae suae patrono. Facultatem uero STEPHANO a PONTIFICE SUMMO datam, rem suam propugnandi, LVCAS his uerbis memoriae prodidit: m) εἶπε δὲ ὁ ἀρχιερεὺς ταῦτα ἔτις ἔχει; ὁ δὲ εἶπεν. REVS iussis superiorum suorum morem gerens, hac licentia sibi beneuole, ut uideri uoluerunt, etsi ex infensissimo inimicorum animo, concessa, usus est; idque ex elegantissima et plena diuino Spiritu oratione STEPHANI constat. Habuit enim, ut innocentiam, quae cum integritate uitae, et puritate doctrinae suae conueniebat, tum omnibus probis Israelitis, tum quoque iniustis suis IUDICIBVS, una cum uniuerso populo Iudaico ante oculos poneret, satis prolixam elegantem, uenustam, nec non omni sapientia diuina refertam orationem, qua tam de fide et cultu suo religioso, quem summo Numini exhibebat, rationem reddere, quam etiam singularem Dei beneuolentiam, et misericordiam erga Israelitas, illis in memoriam reuocare uolebat, qua Deus grauissima delicta, ab exitu ex Aegypto usque ad seculum Christi in maiestatem diuinam commissa, clementissime condonaauerat. Verum contra leges Iudaeorum forenses erat, interpellare STEPHANVM pro se dicentem. Ex lege enim Ebraeorum IUDICES REVM audire tenebantur, si ter, quater, quinquies, et amplius orationem suam

1) Act. Cap. VI. u. 5. και ἐξελεξαντο Στεφανον ἀνδρα πληρη πίσεως, και πνευματος ἁγίου κ. τ. λ. et uersu 8. Στεφανος δε πληρης πίσεως και δυναμειως ἐποιε τερατα. κ. τ. λ. et Cap. VII. u. 56. ὑπαρχων δε πληρης πνευματος ἁγίου κ. τ. λ.

m) Act. VII. Cap. u. 1. seqq.